

# LEVAMEN








JOANNES DE CAESARIS

==== LEVAMEN =====

¶ Ad HENRICUM COCCHIA,  
in universitate studiorum neapolitana magistrum ¶ ¶ ¶



INTERAMNAE  
Ex Typis Lauri  
MCMXVII





Plautinos numeros dum laudas ore diserto,  
(discipuli intenti credimus esse simul

antiqua, lepidi scriptoris tempore, Roma,)  
ora color pallens inficit ecce tua.

Sunt Sceledrus solitoque Palestrio (<sup>1</sup>) more locuti ;  
plaudit turba loquax et fremit usque levis,

personas scaenamque oblita haud esse latinas;  
eventus novit, singula facta, vices.

Iamdudum Urbs etiam vitiis exuberat istis,  
quae magis atque magis sunt metuenda mala.

Immemor ipse tui, es Roma jam mente vagatus  
longe, et sensi te qua tulit ipsa via.

Pallidus ac maerens stabas solum ante sepulcrum,  
cui teneri fletus munera ferre soles.

Num videt iste? Aut tristia, quae profers cineri, audit  
filius iste miser? filius iste tuus? (2)

Omnia in aeternum tenet immutabile fatum,  
et rerum causas noscere nemo potest.

Virtute ingenioque juventae in flore valebat,  
flos juvenum dulcis, spes tua, pulcher honos.

Flosculus iste domus habet aurea lilia, molles,  
quas tu legisti, vere nitente, rosas.

Heu cecidit, cum Mors, cuiusque inimica decoris,  
visit. Vota, preces irrita, mater, erant.

Brachia das frustra collo, pater, anxia circum  
filioli: frustra triste vocatis eum.

— O utinam in bello, dum flagrat patria bello,  
nate, perisses, quo patria sancta vocet;

nam pulchrum juvenumque est pro patria dare vitam,  
Alpibus in summis, in Superoque mari.

Agmina contra hostes currentia Gloría praeit  
(ignivomun caelum est, ignea quaeque loca,)

et lauro cingit sociis tibi tempora caris,  
in laesa figens oscula fronte pia.

At patria, hisce viris confisa, superba triumphat,  
nec dubitare potest quin sua vota cadant. —

Haec tibi mente alacri versanti dicere fas est:  
— Macte animo, genitor; pro patria pereunt  
et juvenes quos edocuit tua recta, magister,  
digna quidem factis, non peritura, schola.

O proles fortis, rebus servata secundis,  
per te saeclorum nascitur ordo novus. —

Sed claram redeamus in urbem, est hora, magister:  
Plautus, nonne vides? dextra oculisque ciet.

*Pinnae, Mense Septembri, MCMXVII.*

---

(1) Sceledrus et Palestrio sunt personae M. Acci Plauti comoediae, quae *Miles gloriosus* inscribitur.

(2) Fletu juveni, qui sepultus est *Cesinali*, in Campania, nomen patris erat.







